


06  
A  
982



עמִי עֲשֹׂו

5

# Positionum Metaphysicarum

DENARIUS QUINTUS,

*De*

# AFFECTIONI.

BUS ENTIS DISJUNCTIS

IN GENERE,

*Et*

IN SPECIE,

Actu & potentia, Principio & Eo;  
cujus est Principium,

*Quem.*

*In Florentissima Leucoréa*

PRÆSIDE

M. JOHANNE MANITIO,

Electoral. Alumno, & Facult. Philos.

ADJUNCTO,

*Publicæ disputationi sifit*

Gottfried Haupt /

Torgensis.

*In Acroaterio Majori, ad d. 13. Septemb. hor. mat.*

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.

ANNO M. DC. LXV.





POSITIO PRIMA.

**A**ffectiones Entis disjunctæ sunt, qvæ disjunctim & cum oppositi illatione cum Ente reciprocantur. Minus ergò propriè loquitur Aristoteles, quando eas Entis divisiones nuncupat, qvia affectiones disjunctæ extra - Essentialiter Enti competunt, & qvanquam Entitatem imbibant, non tamen formaliter, sed reali saltem denominatione eam includunt, qvùm contra divisiones propriè dictæ Essentialiter Enti tribuantur & formaliter illud implicent.

POSITIO SECUNDA.

Affectiones Entis disjunctæ, qvæ vel immediatæ, vel mediatæ sunt, et si nec ab Ente, nec à se invicem totis realiter differant, membra tamen realiter distincta habent. Qvædam etiam earum ita se habent, ut utrumq; membrum de uno & eodem, imò nonnunquam omni Ente, aliò tamen & aliò respectu verificantur.

POSITIO TERTIA.

*Actus & Potentia*, quando Membra affectionis Entis disjunctæ immediatæ constituere debent, non possunt considerari ratione operationis, sed ratione intrinsecæ suæ naturæ, ita ut actus sit, qvō Ens Essentialiter & intrinsecè existentiam implicare dicitur, adeò ut nullò modō possit esse dūdāus & nec unquam non fuerit, nec non sit, nec non esse possit.

POSITIO QVARTA.

Nec unum idemq; dicunt, *actus & actu esse, potentia & in potentia esse*. Primò enim omne Ens, qvod existit, actu est, sive actus sit, sive potentia, modò extra nihilum sit, & reverà in rerum natura detur; interim tamen statim actus non est, nec intrinsecè in suo conceptu propriæ Entitatis existentiam involvit: Ita qvod est in potentia, propriè loqvendo Ens non est, qvùm nudam saltem aptitudinem ad existendum habeat, licet interim Ens verum sit id, qvod potentia est, qvia actu est, licet ei non repugnet & non fuisse, & aliquando posse non esse.

POSITIO QVINTA.

*Potentia, qvæ respicit actum, à quo completur, & vis s. facultas agendi ac patiendi nuncupatur, ad æquatè dividitur in activam & passivam, adeò ut præter has potentias non detur tertia illa Scotistica Objectiva, qvâ res dicitur posse esse, quando nondum est, atq; sic nil infert nisi negationem impossibilitatis s. repugnantiaz ad existendum, nec ponit facultatem in subjecto positivam & realem, sed sal-*

tem

tem' aliquid in virtute agentis, ad quem habet respectum. Quum v. subjectum illius potentiae nondum existat, quomodo id, quod reale non est, reali aliquâ facultate gaudere poterit, quum non-Entis nullæ sint affectiones, nullæ operationes.

#### POSITIO SEXTA.

Nec *Potentia resistiva*, quam vocant, peculiaris & nova, tūm acti-  
væ, tūm passivæ potentiae contradistincta potentiae species est, sive  
dicatur *resistere formaliter* per immediatam repugnantiam: *Sive radic-  
aliter*, per virium alterius diminutionem. Illō n. modō nihil aliud  
est, quām privatio passionis, ex potentia patiendi, quae valde im-  
propriè diceretur potentia. Hoc v. modō potentia resistiva tantum  
habitudine & denominatione ab activa differt, & reverā potentia  
activa est.

#### POSITIO SEPTIMA.

Sicuti v. potentia objectiva propriè sic dicta potentia non erat;  
Ita quoq; illi opposita subjectiva *obedientialis* impropriè potentia  
nuncupatur, siquidem non secus ac illa aliquid saltem ponit in vir-  
tute agentis, nil v. positivæ facultatis in subjecto. Subjectiva quidem  
illa naturalis vera est potentia passiva, quippe quæ per actum natu-  
ralem ab agente naturali actuari potest: at non item subjectiva obe-  
dientialis.

#### POSITIO OCTAVA.

*Potentia infinita ac divina* licet in se una sit, non aliter atq; ipse Deo  
unus est, nihilominus tamen, quum Deus juxta potentiam suam ab  
una parte absolutè agat, ab altera causis secundis sese applicet, rectè  
eadem dividitur in *absolutam*, quā Deus potest absolutè omnia, quæ  
rationem factibilitatis habent aut contradictionem non implicant,  
sive respectu Dei, sive respectu rei; & ordinariam, quæ in aliquo attri-  
buto divinō restringitur, juxta quam potentiam Deus dicitur ali-  
quid non posse facere, quod per absolutam suam omnipotentiam o-  
mnino facere potuisset, qui tamen propterea est & manet omnipo-  
tent.

#### POSITIO NONA.

*De Principiis*, dum hoc in loco agimus, non soliti sumus 1. de prin-  
cipiis Entis, quod nulla habet; neq; 2. de principiis Metaphysicæ, quia de  
eadem in genere hīc non agimus; sed 3. de Metaphysicæ Objecto, quo-  
modo illud in affectionibus suis sese habeat.

#### POSITIO DECIMA.

In formalí suo principium non infert dependentiam ad princi-  
piatum, sed saltem originem processionis alterius, præsupposito re-  
spectu prioris ad posterius. Ideò nil obstat, quō minus Pater in divi-  
nis Principium SS. Trinitatis dici possit.

TANTUM.


06 A 922



10-12



**Farbkarte #13**



עַמִּי עֲשָׂוֹת  
Positionum Metaphysicarum  
DENARIUS QUINTUS,  
*De*  
**AFFECTIONI.**  
**BUS ENTIS DISJUNCTIS**  
**IN GENERE,**  
**Et**  
**IN SPECIE,**  
Actu & potentia, Principio & Eo,  
cujus est Principium,  
*Qvem*  
*In Florentissima Leucoréa*  
**PRÆSIDE**  
**M. JOHANNE MANITIO,**  
Electoral. Alumno, & Facult. Philos.  
ADJUNCTO,  
*Publicæ disputationi sifit*  
**Gottfried Haupt /**  
Torgensis.  
*In Acroaterio Majori, ad d. 13. Septemb. hor. mat.*  

---

WITTEBERGÆ,  
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.  
ANNO M. DC. LXV.